DISPVTATIO INAVGVRALIS
MEDICA

DE ILEO

QVAM

D. O. M. A.

CONSENSV ET AVCTORITATE INCLVTI MEDICORVM IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA COLLEGII

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. IACOBO TAPPIO MEDICINAE DOCTORE, EIVSDEMQVE PROFESS. PVBLICO LONGE CELEBERRIMO, FACVLTATIS MEDICÆ HODIE DECANO SPECTABILI ET SENIORE, NEQVE NON ARCHIATRO GVELPHICO, &c.

DN. AFFINE, PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO ÆTATEM VENERANDO

PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS IMPETRANDIS

PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

BARTHOLDVS HORNEIVS
HELMSTADIENSIS

IN MAGNO IVLEO
HORIS PRO ET POMERIDIANIS

AD DIEM . DECEMB.

HELMAESTADII,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.
Anno CIƆ IƆ C LXIV.

ILLVSTRISSIMO COMITI ET DOMINO,

DN. CONRADO CHRISTOPHORO KONIGSMARCK/

COMITI IN Westerwiegk ET Stegholm/ DOMINO IN Rotenburgk ET Neuhauß/ REGIÆ MAIESTATIS SVECICÆ GENERALI VIGILIARVM PRÆFECTO ET SVPREMO MILITIARVM DVCATVS BREMENSIS ET VERDENSIS GVBERNATORI &c.

DOMINO SUO CLEMENTI.

NEC NON

MAGNIFICO, NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO,

DN. DANIELI NICOLAI, ICTO, POLITICO ATQVE ORATORI, REGIÆ MAIESTATIS SVECICÆ CONSILIARIO INTIMO ET CANCELLARIO IN DVCATV BREMENSI ET VERDENSI DIGNISSIMO &c.

DOMINO ET PATRONO SVO MAGNO.

Dissertationem hanc Inauguralem humillimè & submißè consecrat

BART. HORNEIVS CONR. F. A.

THESIS I.

Cum propositum nobis sit, bono cum Deo agere de Ileo, gravi acutoque intestinorum affectu; operæ pretium fuerit, in ipso limine dissertationis nostræ significationem vocis ejusque homonymiam brevibus examinare.

II.

Est vero Εἰλεὸς vox græcæ originis, tribuiturque certo intestinorum morbo; idque vel ideo quia intestinum quod ab illo affici solet εἰλεὸν vocatur; vel juxta Galeni & Actuarii sententiam, διὰ τὸ τὰς τῶν ἐντέρων ἕλικας εἰλεῖσθαι, *quia intestinorum involucra* (illo morbi genere) *convolvuntur & coarctantur*: vel denique, quia juxta Aretæi opinionem, πνεῦμα ψυχρὸν, ἀργὸν μίμνει ἐπὶ πολὺ ἑλισσόμενον ἐν ὀλίγησι τῶν ἄνω ἑλίξεσι i. e. *flatus frigidus & lentus convolutus in superiorum intestinorum tenuibus anfractibus diu immoratur.* Latini propterea εἰλεὸν Volvulum seu Convolvulum appellare consueverunt: quamquam à plurimis etiam græcum vocabulum retineatur.

III.

Vbi illud reticendum non est, antiquam Medicorum scholam vocem εἰλεὸ in latiori quodam modo significatione usurpasse, ita quidem ut isto vocabulo quosvis omnium intestinorum dolores denotarent: quæ latior vocis significatio ad Tiberii Cæsaris & Cornelii Celsi ætatem

usque obtinuit, qua demum nova nomina diversis affectibus pro diversitate intestinorum imposita sunt; & εἰλεὸς quidem tenuis duntaxat intestini dolorem acutum: Colicus autem dolor s. διάθεσις κωλικὴ intestini crassi seu coli dolorem denotare cœpit.

IV.

Nobis jam de Ileo, prout Ilei duntaxat morbum importat acturis, ulterius synonyma ejus veniunt indicanda. Et vero alio nomine Græcis idem vocatur χορδαψὸς, ἀπὸ τοῦ τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι, quod qui manum loco dolenti admoverit, is intestinum ad modum chordarum fidiumve tensum tangere videatur, ut vult Gal. *l. 6. de loc. aff. cap. 2.* Verum hujus verbi notatio Aretæo longe alia est, quando *lib. 2. de caus. & sign. acut. morb. c. 6.* χορδαψὸν volvuli speciem facit, ubi præter tormina, tumor intestinorum eorumq; compressio & remollitio cum imi ventris tensione accessit, & χορδαψὸν tanquam χορδῆς ἕψησιν h. e. *intestinorum emollitionem* dici vult, hisce verbis: ἢν πρὸς τοῖς στρόφοις δὲ καὶ πίεσις, καὶ μάλθαξις τῶν ἐντέρων εἴη, καὶ πουλὺ τὸ ὑπογάστριον ὑπερέχῃ, χορδαψὸς τὸ τοιοῦτον ἐστι. οὔνομα δ' ἕψησις μὲν γὰρ ἡ μάλθαξις. χορδὴ δὲ ἐντέρων ἐπώνυμον &c. *Quod si ad tormina compressio & remollitio intestinorum accesserit, multumque imum ventrem superaverit, id vero jam Chordapsus est, quod nomen ultima parte elixationem, remollitionemve significat. Chorde autem intestinorum vocabulum est.* Hanc nominis acceptionem una cum Archigene Aetius *Tetrabibl. 3. serm. 1. c. 28.* amplexus est, dum Chordapsum veterum, intestinorum emollitionem esse affirmat.

V.

Diocles Carystius apud Celsum tenuioris intestini morbum χορδαψὸν, plenioris vero εἰλεὸν nominat. Celsus tamen ipse *l. 4. c. 13.* voce εἰλεοῦ affectum tenuioris intestini deno-

denotare maluit. Cælius Aurelianus *l. 3. cap. 17. acut. Acutum tormentum intestinorum* appellat, quia veteres Græci intestina chordas appellarunt. Idem tradit ex sententia Callimachi nonnullos Pythagoricos medicos hunc morbũ φραγμὸν nuncupare consuevisse, quod septis & obtusis naturalibus ventris officiis contingat. Quoniam vero hoc morbi genus miserabile admodum est & divina dignum commiseratione, inde sine dubio factum ut quidam illud *Miserere mei* indigitent.

VI.

His præmissis ad rem ipsam propius accedendum est. Cum vero ad naturam morbi facilius indagandam ejusque curam rectius instituendam non parum faciat accuratior ipsius partis quam afficit cognitio, hanc primo loco considerabimus. Quem in finem adducendæ jam nobis sunt tum veterum tum recentiorum quorundam ea de re diversæ sententiæ, ut postea singulis expensis, quænam illarum veritati magis consentanea sit, inde elucescat,

VII.

Et quidem apud Hippocratem quamvis expressa de parte affecta verba non habeantur, regione tamen dolore affecta, eam passim indicare videtur: *libro* enim *3. de morb. sect. 5.* ubi de volvulo agit, inquit: δίψον ἔχει, καὶ ὀδύνην μάλιστα μὲν περὶ τὰ ὑποχόνδρια· ἀλγέει δὲ καὶ πᾶσαν τὴν γαστέρα, καὶ πεφύσεται h. e. *sitis & dolor maximè circa præcordia aderant, totus etiam venter dolet & inflatur.* Eadem etiam iisdem ferè verbis *lib. 3. Epidem. ægr. 9.* in historia mulieris Iliosæ repetit, dum dicit: πόνοι περὶ ὑποχόνδρια, καὶ ἐν τοῖσι κάτω κατὰ κοιλίην πόνοι· quæ Fœsius ita vertit: *Dolores circa præcordia aderant, qui in inferioribus secundum ventrem locis cum torminibus assiduis urgebant.* Quoniam vero expresse dicit dolores potissimum

circa hypochondria adfuiſſe,& Hippocrati per τὰ ὑποχόνδρια non tantum partes ſubcartilagineæ continentes, ſed etiam contentæ eo nomine veniunt, imo regionem epigaſtrium dictam, quam alii ab hypochondriis diſtinguunt, ſub hoc nomine pariter comprehendit, non Ileon ſed colon hypochondriorum & epigaſtrii regionem magna ex parte occupans, potiſſimum in noſtro morbo affici ſtatuiſſe ſufficienter liquet. Quod ipſum magis adhuc confirmare videntur verba illa: καὶ ἐν τοῖσι κάτω κατὰ κοιλίην πόνοι: *& infra ſecundum ventriculum tormina perpetua.* per κοιλίην κάτω enim nonnulli intelligunt inteſtina tenuia, cum κοιλίη ἄνω ſit ventriculus, in quem devoratum alimentum ingeritur, jamque adhuc tertius ſuperſit ad excipiendas ſcilicet fæces formatus, qui plerumque inferior venter nuncupatur. Quare illis verbis: *infra ſecundum ventriculum* Hippocratem innuere volunt tormina & dolorum exacerbationes in inteſtinis craſſis fuiſſe, ſicque colon quam maxime in hoc affectu ſecundum Hippocratem laborare concludunt.

IIX.

Galenus ſententiam ſuam expreſſe *com. 6. in aph. Hipp. 44.* proponens non craſſa ſed tenuia inteſtina affici hiſce verbis declarat: *Quod intercluſo inferiore tranſitu, in tenuibus inteſtinis & non in craſſis hic morbus* (Iliacus) *fiat omnibus fere confeſſum eſt.* Et *l. 6. de loc. affect. c. 2.* inquit: *Interdum quoq; alii dolores & quidem vehementiſſimi in ſublimioribus inteſtinorum partibus eveniunt graviter vomitionibus cruciantes &c. Hunc Ileon quidam, nonnulli Chordapſon appellant.* Secundum Galenum igitur, uti ex duobus hiſce locis perſpicere licet, primariò hic afficitur inteſtinum Ileon, ex hujus enim obſtructione, inflammatione &c. hunc affectum oriri firmiter ſibi perſuaſum habet. Quam ſententiam etiam Aretæus

tæus *c.6.l.2.de causis & signis acut.morb.* Aëtius, *tetrabibl.3.serm.1.c.28.* AEgineta & cæteri Græci amplexi sunt.

IX.

Non solum vero Græci sed etiam Arabes in hac fuerunt sententia: Averroës enim *l.4.Colliget.c.59.* hunc affectum intestino Ileo tanquam proprium tribuit, dum inquit *AEgritudo fortissima, quæ Iliaca nominatur, fortiora habet accidentia & mala, ita quod patiens cogitur vomere stercus &c.* & paulo post: *Vniversaliter hæc ægritudo intestinis subtilibus est propria.* In hanc itidem nonnulli ex Galeni sectatoribus secedunt, simpliciterque sola intestina tenuia & non crassa in hoc morbo affici statuunt, idque ex Galeno probare conantur: inter quos quam maxime hoc sibi sumit tum alias tum hic Galeno nimium addictus Donatus Antonius ab Altomari *part.2. de med. humani corp. mal.* & Petrus Paulus Pereda *lib.1. cap. 39. in schol. ad Paschalii method. curandi*, neque in aliis tenuibus præterquam in Ileo fieri posse affirmat, ideo quia hoc ita conformatum est ut in ejus anfractibus excrementa crassa immorari queant, in reliquis autem duobus propter effusionem bilis ad expulsionem illa stimulantem non item, & per consequens hunc morbum illis contingere impossibile sit: neque etiam crassa primario hîc affici itidem autoritate Galeni probat: & hæc plane communis omnium sententia est.

X.

Platerus certam quandam partem tenuium, quæ facilius quam reliqui ipsorum ductus obstruitur, determinat, & quidem me tum illorum angustiorem, quo se in fine (tenuium) juxta renem dextrum in crasso intestino aperit; illo namque obstructo circa latus dextrum dolorem fixum sentiri, ait, & propter retenta excrementa in tenuibus intestinis, in umbilici ambitu vagum sese prodere.

dere. Ex recentioribus porro quidam utplurimum tenuia, exque illis Ileum potissimum affici arbitrantur, non negantes interim crassa, ut colon, affici posse. Sicuti Cæsalpin. *spec. art. Med. Hipp. lib. 7. cap. 6.* Ileum proprie intestini tenuioris morbũ, aliquando vero etiam crassi esse affirmat. Cum quo etiam Duncan. Liddel. *in arte medica* facit. Et River. in *praxi p. 450.* præter ileon reliqua tenuia quoq; & interdum etiam crassa hoc morbo tentari asserit. Hisce accedit Petrus Salius qui præter tenuia etiam crassa nonnunquam in Ileo affici posse ex diversis Hippocr. & Galeni locis, imo argumentis ab ipsa experientia & propriis in Iliacorum nonnullorum corporibus observationibus desumtis, dat manifestum.

XI.

Verum enim vero præcipuorum autorum sententiis ita sufficienter enarratis, priusquam, quid hac de re sentiendum sit, dicamus, certamque partem determinemus, jam absque omni mora ipsa φαινόμενα recensenda esse arbitramur; illis enim in medium allatis faciliùs nobis erit modò propositas sententias perpendere, quidque harum quævis veri vel falsi habeat examinare, itaq; ipsum affectus nostri subjectum tam primarium quam secundarium nos diutius latere non poterit.

XII.

Principiò igitur omnes Iliaci tarda solent esse alvo, deque ejus adstrictione eos semper conqueri audimus, & ita quidem, ut magno quamvis conatu expellendi parũ tamen fæcum durarum plerumque excludant. Hujus rei exemplum tum alibi tum apud Dodonæum *Observ. rarar. cap. 34.* habetur mulieris religiosæ, quæ intestinorum doloribus multis mensibus cum tali alvi adstrictione detinebatur, ut

alvus

alvus nil nisi ægre & durum, idque tantum decimo quoque die redderet. Et apud Smet. in *miscel. l. 10.* Medicus quidam una cum iliacis cruciatibus tarda alvo fuit. Quamvis vero plerumque Ileum præcedat vel etiam comitetur ejusmodi alvi adstrictio cum excretione quadam excrementorum durorum & exsiccatorum; nonnunquam tamen etiam sola liquida & tenuia eaque cruda relictis durioribus ab illis excernuntur. Id quod Hippocrati *l. 3. epid. ægr. 9.* in muliere ad Tisamenum volvulo laborante observatum est. Pharmacopœus item statim in morbi principio acri enemate injecto, à vitiosis, admodum viscidis, crassis & fœtidis fæcibus purgatus tandem convaluit apud Dodon. *l. cit. c. 36.*

XIII.

Et hæc quidem astrictio, ceu jam indicatum, plerumque Ileũ præcedit inque ejus principio observatur. Non raro vero *deinde* morbo vires acquirente alvus magis magisq; constipatur, & quidem in tantum, ut ne quidem flatui nedum fæcibus ibidem pateat exitus. Non solum enim autores gravissimi hanc cum Ileo semper conjunctam esse affirmant, sed etiã multis insuper observationibus & experientia idipsum probare licet: imo Galenus tum alibi tum *comment. ad Hippocr. aph. 10. l. 7.* Ilei proprium & inseparabile, ἐδὲν κάτω διέρχεσθαι, symptoma esse fatetur. Et Hippocr. *de affectionib.* in hæc verba prorumpit: *Cum volvulus corripuerit, venter durus redditur, nihilq; infra demittit &c.* Et Aretæus *lib. 2. de caus. & sign. morb. acut. cap. c.* flatus illis in intestinis occludi hisce verbis docet: κοιλίη ὑποβορβορύζουσι φύσῃσι, ὁδοιπορίη μέσφι ἕδρης, διέξοδοι δὲ ἀτελέες. *Alvus flatibus perstrepens, qui ad podicem usq; properant, sed ibi exitus* (illis) *intercluditur.* Non desunt etiam exempla quamplurima â multis autoribus annotata.

Sufficiat jam pauca adduxisse. Sic pueri cujusdam sub nomine tympanitidis & convolvuli intestinalis, nequicquam per secessum egerere valentis, meminit Platerus *lib 3. observat.* Et Forest. *l. 21. observat. 16.* historiam viri ingluviei dediti recenset, cui inter alia symptomata venter ita adstringebatur, ut ne quidem flatum emittere posset. Idem & alii viro eodem *l. c. observ. 18.* narrante accidit, & passim tum *lib. cit.* tum ab aliis hujuscemodi exempla suppeditantur. Hic porro non prætereunda sunt Aretæi *loco supra citato* verba ita se habentia: quod in illis, imminente jam morte, ἤδη ἀπολελημμένη, ὡς μηδὲ ἰσχνὸν ἔλασμα διελάσαι.

XIV.

A tali vero alvi adstrictione, fæcum flatuumque retentione, *tertio*, mox flatus totam alvum perstrepentes, sentiuntur, quibus cum exitus inferius sit denegatus & successu temporis magis magisque generentur, in intestinis magna turba flatuum coacervatur; imò si cuidam affectui, Iliaco certè quam maximè sunt familiares & cum eo conjunguntur, adeò ut nullus Iliacus qui ab omni flatu plane liber sit facile inveniatur: id quod experientia compertissimum est.

XV.

Murmura *quarto* & rugitus certissimi flatuum in corpore præsentium indices sese produnt, qui sæpius observantur & ab autoribus annotati inveniuntur. Ita in viri Iliaci ventre Forestus *l. c. obs. 18.* una cum aliis symptomatibus murmura quoque, & Wierus *tract. Germ. de morb. incogn.* in Comitissa eadē deprehendêre. Memorabile porro est, quod tales βορβορυγμοὶ non solum in vivis verùm nonnunquam etiam in vita privatis aliquamdiu subsistant & per aliquot dies audiantur. Quale notatu maximè dignum quid de adole-

dolescente septendecim annorum jam mortuo Platerus *lib. 3. observat.* refert: cujus verba hæc sunt: *Puer cum quatuordecim dierum spatio excrementa alvi per os evomeret, nec per secessum quidquam egereret, in hospitali Anno 1569. exspiravit. In hoc cum post mortem rugitus ventris & illius quædam palpitatio sentirentur, eoque nomine de sepeliendo corpore ambigeretur, accersitus cum ventrem aperirem, flatus tandem erumpebant.* Hæc ille.

XVI.

Dolorem *quintò* in ventre infimo valde molestum & peracutum percipiunt, qui eosdem ita afficit & excruciat, ut ipsis plenus desperationis nec non quam frequentissime intolerabilis evadat. *Nonnulli enim*, ut inquit Aret. *l. 2. de curat acut. c. 5. desperata salute ægrotantes mortē evidentem tantummodo formidant: aliqui vero in volvulo ob cruciatus acerbitatē mortem expetunt.* Quare quidā sibimetipsis manus violentas injicere, mortemque præ vita, si in ipsorum potestate consisteret, ita eligere mallent, quam diutius ejusmodi immensis cruciatibus ac sævis torminibus affligi & torqueri: imo referente Galeno *2. de compos. medicam. sec. loc. c. 1.* nonnulli colicum dolorem, quamvis Iliaco tolerabilior plerumque sit, perferre non valentes necem sibimetipsis intulerunt. Hujus doloris Iliaci porro idem Gal. mentionem facit *lib. 6. de loc. aff. c. 2.* eumque ita describit: *Interdum alii dolores & quidem vehementissimi in sublimioribus intestinorū partibus eveniunt, graviter vomitionibus cruciantes &c.* & *comment. 2. in lib. 3. epid. ad ægr. IX.* hosce dolores inter symptomata volvulo assidentia refert. Dolor vero hic quamvis in toto infimo ventre sentiatur, & per integrum abdomen sese extendat: (qualem & quidem vehementissimum vir herniosus ab assumpto veneno Ileo correptus, & puella

 prius

prius febri acuta cum dextri hypochondrii dolore tentata; altero die per totum ventrem sese extendentem percepêre, referente Foresto *l.c.*) plerumq; tamē circa regionem umbilici magis eo afficiuntur & exquisitiores atq; acutiores cruciatus in illa parte ægri percipere solent. Talis sese in fusore æramentario prodidit, dum scil. de dolore intestinorū circa umbilicum acerrimo cum vomitu crebro &c. querebatur apud Smetium in *miscell. lib. 10.* Et annotante Benivenio *l. de abditis morb. caus. cap. 107.* quidam, Laurentius dictus, supra umbilicum intolerabiles sensit dolores. Iacobus Berthier magnis affligebatur doloribus, uti memoriæ prodidit Ballonius *lib. 1. consil. 31.* Plura hujus rei exempla tum alii tum Forestus *lib. c. observ. 16. 18. & 20.* nobis conservarunt.

XVII.

Porrò & *sexto* nonnunquam in volvulo laborantium abdomine oculis sese offert tumor quidam, interdum totum ventrem, interdum vero certam tantummodo partem occupans. Prioris exemplum in hernioso & ex veneno assumto Iliaco facto viro apud Forestum, & in puero apud Platerum, quorum jam tum fecimus mentionem, occurrit. Posterioris vero generis tumor, qui scilicet unam quandam partem tantum abdominis occupat, non in omnibus in una & certa quadam regione observatur: sed prout inferior, media, vel superior pars intestinorum est affecta, & humores flatusque versus superiora vel inferiora ratione variorum gyrorū volvuntur & propelluntur. Ita in parte superiore sive hypochondriis tumor conspicitur teste Henischio *com. in Aret.* cujus hæc sunt verba: *Si fiat morbus Ileus à stercorum retentione, flatus volvitur & vertitur in intestino, tota hypochondria ferè elevari videntur & in tumorem efferri.* Hypochondriorum inflationē, tumorem & distensionem in Co-

mitissa

mitissa Iliaca observavit Wier. *l.c.* Utplurimum vero ille circa regionem umbilici oritur. Talem tam veteres quam recentiores observarunt; & quoniam tangenti intestinum ad chordæ modum convolutum esse apparet, veteres Ileum etiam Chordapson appellitarunt, de qua denominatione jam supra §. IV egimus. Galenus *6. de loc. aff. c. 2.* de hoc tumore ita scribit: Εἰλεὸν affectũ sive volvulum *nonnulli & chordapsũ vocant, quum scilicet tumor aliquis eminet in tenuium intestinorum parte, ut videatur intestinum ad chordæ similitudinem convolutũ.* In cujus rei exemplum haud immerito adduci potest pharmacopœus apud Dodon. *observ. medicin. c. 36.* qui maximo Ilei dolore tertio quoq; die torquebatur, quo sæviente umbilicus una cum circumvicinis partibus in tumorem attollebatur. Videatur etiam hac de re Forest. *lib. 21. observ. 18.* & Wier. *l.c.*

XVIII.

Non solum autem ejusmodi tumor conspicitur, sed insuper *septimo* intestinorum durities quædam eorundemque circumvolutio interdum tactu deprehenditur & cognosci potest. Talem duritiem Benivenius *l.c. cap. 34.* in muliere à se & ab aliis alvum contrectantibus ea adhuc vivente observatam esse tradit, quibus durum quid tangere visum est; mortuæque corpore postmodum aperto in conspectum intestina prodierunt altiori callo in parte interna ita obducta, ut fæcibus excernendis iter valde angustum relictum fuerit. Et Platerus *lib. 3. observ. p. 610.* in puero intestina certis quibusdam in locis adeo convoluta intorta & implexa conspexit, ut nulla illic nec excrementis nec flatibus deorsum pateret via. Æquale exemplum etiam Servio in puero quodam notatum esse refert Bartholin. *histor. anatom. cent. 4. hist. 47.* Idem etiam viro apud Forestum *l. 21.*

obſ.18. contigit; tumor enim ipſi aderat & inteſtinum tanquam ad chordæ ſimilitudinem convolutum videbatur. Vid. & Riverius *cent. 3. obſerv. 26.* Huc haud immerito referri poteſt mutuus inteſtinorum ingreſſus, qui etiam, quamvis raro, in hoc affectu contingit, & quidem ita ut una pars inteſtini intret alteram. Tale exemplum Columbo *l. 5. anatom.* & Hildano *obſerv. chir. 61. cent. 1.* notatum eſt. Et Ampliſſ. Conringius in *diſſert. ad inſtit. Senn.* quod inteſtina interdum in ileo ſeſe mutuo ingrediantur, negari non poſſe, aſſerit.

XIX.

Eadem inteſtina hîc *octavo* magnam quibuſdam in locis diſtenſionem patiuntur, & quidē talem ut non ſolum inde ampliora reddantur ſed tonum inſuper ſuum plane amittant. Sic inteſtina pueri apud Platerum l. c. præter variam intorſionem & convolutionem in reliquis quibuſdā locis femoris craſſitiem adæquabant. Et notante Fernelio *l. 6. de morb. & ſymptom: cauſ. c. 10.* colon cuidam ad brachii magnitudinem intumuerat. Tonſoris itidem Dodonæus *obſerv. c. 37.* meminit qui talem diſtenſionem paſſus eſt, ut colon à dextro in ſiniſtrum ab omnibus excrementis vacuum, (reliquis vero inteſtinis à fæcibus refertis) flatibus tamen omnino diſtenſum repertum ſit. Tales in colo diſtenſiones Henricus ab Heer *obſerv. med. rarar. 2.* & Petræus *harmon. noſol. diſſert. 29. de Colica* etiam annotarunt.

XX.

Præterea tali diſtenſioni, quando nimirum præter modum excreſcit, *nono* interdum ruptura & ſciſſio ſupervenit. Cujus geminum exemplum ex Benivenio, mulieris nempe corpulentæ & ruſtici, tradit Marcellus Donatus *hiſt. med. mirab. lib. 5. c. 4. in fine.* Et Fernel. *lib 6. de part. morb. c. 9.* inſignem & notatu maxime dignam hiſtoriam puellæ

ſepten-

ſeptennis diarrhœa prius laborantis recenſet, quæ poſt ſuadentibus quibuſdam mulierculis largam cydoniati exhibitionem ut alvus cohiberetur, graviſſimo Ileo hinc correpta ſuccubuit: aperto corpore meatus juxta cæcum inteſtinum à cydoniato ita obturatum & obſtructum repertum fuit, ut nullo modo illac quicquam tranſire potuerit; donec tandem paulo ſupra locum obſtructum pereſo perforatoque inteſtino materia alium ſibi exitum quærens, totam abdominis capacitatem repleverit. Puero itidem apud Platerum ex compreſſione inteſtina jam tum nimium diſtenta, diſrumpebantur. Et Sennertus *pract. lib. 3. part. 2. ſect. 2. c. 2.* colon aliquando ruptum ſe obſervaſſe aſſerit.

XXI.

Sed & *decimo* ructibus & quidem inanibus nihilque proficientibus valde ſunt obnoxii, qui, quamvis frequenter ægrotis ſint moleſti, dolorem tamẽ vix quidquam leniunt, multo minus tollunt. Quales vir quidam apud Foreſtũ *l. 21. obſ. 18.* ructus inanes dolorem nullo modo levantes patiebatur. Imo omnium ferè conſenſu pro ſymptomate Ilei habentur, & ex multis Actium & Aretæum adduxiſſe jam ſufficiat, qui hoſce ructus inanes inter cætera Ileum concomitantia ſymptomata recenſent.

XXII.

Nonnulli *undecimo* ventriculi dolorem percipiunt; quem Aretæus dolorem in ſtomacho oberrantem nuncupat. Præcipue vero os ventriculi eo, quoniam exquiſito pollet ſenſu, afficitur. Tale quid in Antonio Oleviano Medico obſervavit Henricus Smetius *miſcel. l. 15.* qui una cum Iliacis cruciatibus tanto oris ventriculi dolore torquebatur, ac ſi ſtylus ipſi ad dorſum uſque impactus fuiſſet.

XXIII.

XXIII.

Ventriculus *duodecimo* illorum multis humoribus iisque maxima ex parte crudis abundare solet, quod quidem nonnullis à prima statim morbi invasione & principio; quibusdam vero morbo incrementum capiente accidit, quando naturali ipsorũ via obstructa ad superiora propelluntur. Hanc humiditatem è vestigio sequitur vel cum ea conjuncta est *decimo tertio* nausea cibique tædium. Et quidem Iliacos illa tentari experientia nos abunde docet. Sufficiat nobis nunc exemplum viri apud Forest. ingluviei dediti, qui à longinquo usu diversorum ferculorum malorumque ciborum, accedente etiam vehementiore exercitatione & largo aquæ potu, in Ileum incidit, cui præter alia Ilei symptomata etiam cibi tædium obvenit, ut refert *l. c.*

XXIV.

Non possunt autem non hisce omnibus *decimo quarto* facile supervenire vomitus, & quidem tales, ut neque cibum neque potum retinere possint. Exemplo nobis esse potest mulier ad Tisamenum apud Hippocratem, quæ multis vomitionibus & quidem talibus ut potum seu alimentum continere non poterat conflictabatur. Et uxor Nicolai Adriani cerevisiarii notante Foresto cum Iliaco dolore vomitum enormem & continuum patiebatur. Non unius autem generis humores vomitu rejiciuntur. Quidam enim pituitosum humorem evomunt, quemadmodum vir apud Forest *l. 21. observ. 16.* Ileo correptus post cibum potumque phlegma corruptum per superiora ejecit. Interdum vero biliosi evomuntur: quales vomitus fuerunt uxoris mercatoris ira hoc morbo correptæ, cui præter alia etiam vomitus bilis æruginosæ acciderunt, ut refert Nicol. Tulp. *lib. 2. observ.*

serv.c.41 Et vir cujus Forest. *l.21.obs.18.* meminit cum nihil continere posset valde biliosa vomitu projecit. Nonnunquam pituitosi & biliosi sibi invicem mixti sunt, ut Wierus *tract. germ.* in matrona nobili observavit; Vel primo pituitosi mox vero biliosi vomitu excernuntur: quales mulier illa annosa cujus mentioné facit Forest. *l.21.obs.21.* passa est. Vermes insuper una cum cæteris vomitu aliquando rejectos fuisse in morbo Iliaco notavit idem Forest. *l.7. de febb. obs.4.* in vetula quadam sexagenaria, quæ postquam octo diebus excrementa per os rejecit quatuor vermes ultimo vomitu unâ excrevit.

XXV.

Non solum vero cibus, potus & jam commemorati humores; sed etiam ipse chylus, imò non raro excrementa vomitu redduntur, quemadmodum tales Duret. *comm. ad Coac. prænot. Hipp.* inter Ilei symptomata consectanea recenset. Insigne hujus rei exemplum Henricus ab Heer *observ.22.* annotavit in puero hernioso, cujus curam Leodii Gallus Agyrta suscipiens incautè intestinum ileum filo æneo mercurio crudo oblito ligaverat. Verba ejus hæc sunt: *Gallus Agyrta Leodium venit, Lithotomum professus, herniarumque curam, filo aureo certissimam polliciens. Huic cum plurimi se crederent, rogatus à patre alutario, adstarem vincturo epiploon fílioli sui, in scrotum delabens. Adsto, filum non iam aureum, sed ferreum mercurio crudo oblitum, in inguen pueruli trimi agenti. Videris, inquam, altius & iusto & solito mihi adigere. Quæ tua sunt, inquit, cura, ego quæ mea sunt rite exequar, interim filum, ejulante multum puero valide torquet, sed quod commiseratione dignissimum, intestinum Ileum in vicinia cæci una comprehendit, itaque vincit, ut negato per inferiora fæcibus exitu, per os ejectis stercoribus, ileosus factus puer, peristaltico intestinorum motu mutato,*

 animu-

animulam inter mille tormenta cum fœtore & cruciatu ejecerit die à ligatione quinta. Mortui cadaver aperiens inveni intestinum, qua parte ligatum fuerat, unoque supra infraque ligaturam digito omnino gangræna infectum & jam putre. Hæc ille. Haud multum dissimilis à jam recensito vomitus fuit viri herniosi Delphis Ileo gravissimo laborantis, qui postquam dolore in ventre atrocissimo fere confectus, tandem per integros quatuor dies, neque clysteribus neque medicamentis per os exhibitis quicquam juvantibus, excrementa per os rejecit observante Foresto *l.c.* Puella itidem apud Fernelium diarrhæa primum affecta à larga cydoniati, suasu mulierum quarundam, assumtione Iliaca facta talem vomitum excrementorum experta est. Et puerum, cui intestina volvulo impedita invicemque implicata fuerunt, fæces alvinas per os reddentem vidit Bartholin. uti refert *Histor. anatom. centur. 4. histor. 47.*

XXVI.

Nec fæces porro tantum jam desperati Iliaci per superiora rejiciunt, sed etiam ea interdum quæ inferius vel ad promovendam alvi excretionem vel immensum dolorem demulcendi reliquaque symptomata mitigandi gratia immittuntur & injiciuntur. Clysteres vomitu ab Iliacis redditos Solenander *Consil. 16. sect. 5.* & Sennert. in viro à morbo hypochondriaco in Ileum delapso observavere. Cujusdam qui glandes & suppositoria rejecit meminit Guainer. *tract. 5. c. 2.* & D. Iacobus Oetheus referente Sennerto, observavit uxorem fabri ferrarii Toletani, puerperam, partem candelæ sebaceæ, qua loco suppositorii usa fuerat, postero die vomitu rejecisse. Aliud adhuc ut singulare, ita omnino commiseratione dignum exemplum puellæ annorum duodecim describit Matthæus de Gradibus

pract.

pract. c. de vomitu: quæ, ut totidem ferè verbis refert ex eo Sennertus, Ileo affecta non solum nihil per alvum excrevit, sed & fæces posteaque clysteres injectos non multo post vomitu per os rejecit. Hoc cum per integrum triduum continuasset, posteaque suppositorium longum immissum fuisset, & illud intra temporis spatium, quo dicitur Pater noster, per intestina ad stomachum ascendit & vomitu redditum fuit. Postea cum suppositorium aliud filo ad coxam alligaretur, statim rupto filo ascendit pariter sursum ad stomachum, illudque iterum ægra cum parte fili evomuit. Et cum tertia vice suppositorium aliud quatuor filis fortibus alligaretur, & illud paulo post ruptis filis per os cum filorum partibus rejecit. Tandem cum Medicus juberet, ut mater aliud suppositorium immitteret, tanta violentia sursum attractum fuit, ut ipsa, ne sursum raperetur, illud extrahere cogeretur.

XXVII.

Hisce gravibus symptomatibus, *decimo quinto*, aliud adhuc & quidem mali ominis symptoma, singultus supervenire solet. De singultu tamen, ut & de vomitu fæcum potissimum id notari meretur, quod non semper & in omnibus Iliacis tales observentur, sed ut Galen. *comm. ad l. 7. aph. 10.* inquit, tum demum quando exitialis, & si ægri vehementius distorqueantur stercus eis ascendit, atque tum singultiunt. Singultientis Iliaci exemplum, scil. Antonii Oleviani Medici, nobis annotavit Smetius *lib. 10. miscell. med.* qui postquam ab Ileo magnaq; concomitantium affectuum hydra liberatus esset, denuo in doloresq; Iliacos relapsus, præter cætera prava symptomata etiam singultus æstusque stomachi eum usque ad vitæ terminum comitati sunt.

XXIIX.

Præcordiorum, *decimo sexto*, angustiam difficilemque

respirationem ægros nonnunquã pati observatũ est Et quidem Nicol. Tulpius in uxore mercatoris Iliaca insignem præcordiorum angustiam notavit, jamque commemoratus Antonius Olevianus Medicus *l.c.* eandem cum tussi patiebatur. Mulier itidem admodum annosa magnam spirandi difficultatem sensit referente Foresto *lib. cit. obs. 21.* Generoso quoque ex familia Hatzfeldiorum Iliaco præter alia vigiliæ, inquietudines, præcordiorum angustiæ &c. exoriebantur, cujus meminit Hildanus *cent. 2. observ. 82.*

XXIX.

Febri, *decimo septimo*, eique conjuncta siti frequenter tentantur, quæ interdum Ileum antecedit eumque comitatur, utplurimum vero per ἐπιγένεσιν supervenit. Ita refert Forestus *l.c.* de puella quod febre acuta sitique intolerabili correpta primùm in latere dextro circa regionem hepatis dolorem perceperit, ex quo in syncopen delapsa cum ab ea excitaretur, illico totus venter ei doluerit & intumuerit sicque in hunc morbum inciderit. Idem dolor Iliacus vetulam jam tum febricitantem *l. c.* deprehendit. Febri Pharmacopœus, observante Dodonæo *l. supra cit.*, cum eodem & quidem satis vehementi afflictus fuit. Tertianam porro cum Ileo conjunctam in nobili muliere observavit Wierus *l. c.* Per ἐπιγένεσιν in vetula herniosa multis, variisque vomitibus aliisque symptomatibus Iliacis febris successit apud Forestum *l. c. observ. 21.* Plura hujus rei exempla tum alii tum Forestus *l. c. observ. 18.* (ubi viri Iliaci ex inflammatione meminit, qui ex tabulæ calefactæ applicatione dolore magis magisque aucto in febrem continuam etiam incidit.) Ballonius *lib. 1. observ. 31.* & Smetius *l. c.* nobis, si necessum foret, suppeditare possent. Hisce accedere solent & alii febrium comites, ut vigiliæ, inquie-

tudi-

tudines &c. ita vigiliis continuis vehementissimoque gutturis ardore affligebatur uxor mercatoris cujus meminit Tulp. *l.c.* Insignem pariter gulæ molestiam, ut cibum deglutire non potuerit, persentiebat ebriosus, notante idipsum Bartholino *l. c.*

XXX.

Neque cor, *decimo octavo,* à cæteris molestiis immune est, præterquam enim quod febri, difficultate respirandi & præcordiorum angustiâ tentantur Iliaci, ipse fons ille vitæ diversimode afficitur. Modò namque tremore, lipothymiâ modò, imo ipsa syncope corripiuntur, prout dolor remissior aut intensior est. Ejusmodi vero affectus facilè doloribus tum aliis acutis, tum præcipue iliacis supervenire ipsa experientia sufficienter evincit & dat comprobatum. Sic crebra animi deliquia puella septennis invalescentibus exquisitis doloribus patiebatur, ut narrat Fernelius *l. supra cit.* & alia puella Delphica, neque non vetula sexagenaria, referente Foresto *lib. 7. de febb. observ. 3. & 4.* ex inflammatione iliaca & vehementiori dolore syncopen gravissimam incurrerunt.

XXXI.

Nec cerebri, *decimo nono,* quando in consensum rapitur, levis offensio esse solet: namque præter vigilias & inquietudines interdum delirant ægroti, idq; potissimum in Ileo à magna inflammatione ortum ducente. Quibusdam etiam motus convulsivi accidunt; qualem lethalem omnium musculorum convulsionem in uxore mercatoris observavit Nicolaus Tulpius *l. c.* Confirmat idipsum Duretus *comment. in coac. Hipp. de parotidib.* hisce verbis: *In Ileo cerebrum quando adducitur in sympathiam stomachi graviter in vomitione & singultu vexati, non solum dementiæ, sed etiam convulsionis con-*

secutio adfertur: imò virum quendam hypochondriacum ex ἀναῤῥοπίᾳ humorum & intestinorum motu inverso epilepticum & cœcum factum esse refert Sennertus *l.3.prax.part.2.sect.2.c.1.in fine.* In eundem morbum comitialem pariter & Laurentium Benivenii fratrem volvulo primum graviter decumbentem incidisse *è Benivenii l.de abd morb.caus.commemorat Schenkius in observ.* Paralysin dextri brachii & diverso tempore magnos brachiorum dolores eorumque & femorum imbecillitatem in Oleviano Medico observavit Smetius *l.c.*

XXXII.

Quam frequentissime, *vigesimo*, herniæ & reliquorum intestinorum inflammationes cum Ileo conjunguntur: *illis* enim, ut inquit Aretæus *l.c. volvulus accidit, quibus intestinum cum fæcibus in scrotum procidit neque in ventrem repulsum, sed per vim retentum fuit; his inferiora intestina phlegmone vexari solita sunt.* Hujus ἐντεροκήλης duo exempla nobis præbet Ballonius, alterum Iohannis Berthier, circa cujus inguen tumor principio quidem à nonnullis pro testiculi tumore habitus, qui tamen intestini prolapsus fuit, conspiciebatur; alterũ vero Joannis le Charron, qui pari modo ab hac κήλης specie Iliaco affectu corripiebatur *locis cit.* & Forestus *l.c.obs.17.* viri hernia inguinali longo tempore vexati affectuq; ilioso correpti meminit. Bubonocelæ porro seu ramici inguinis uxor Nicolai Adriani cerevisiarii ita obnoxia erat, ut intestina in locum naturalem prius reducta ligamentis idoneis detinere cogeretur ut notavit idem *l.c.obs.20.* Ejusdem itidẽ domesticum exemplũ se habuisse scribit Hoffmannus *Instit.lib.3.c.147.§.10.* Nec tantum hisce herniarum speciebus affecti Iliacum dolorem facile incurrunt, verum, ut scribit Hippocr. *lib.2. Epidem sect.2*, inquiens: *Quod si* (ru-

si (rupturæ) *dextram umbilici superiorem partem attingant, dolorem & corporis jactationem afferunt, & fæcum per vomitum eductionem, velut Pittaco etiam accidit.* Hujus exempla nobis porrigit Forestus *l.c.* mulieris scilicet septuagenariæ, quæ multis annis exomphalo laborarat; & quia intestinum sæpe in eandem rupturam illapsum ultra magnitudinem capitis sæpe excresceret tandem frequentissime Iliaca passione afficiebatur. Et *l.c. observ. 22.* Petronella Berendrecht ex ingentis quoque magnitudinis umbilici ruptura, qua multis retro annis afflicta fuerat, in Ileum gravissimum incidebat.

XXXIII.

Colicus dolor, *vigesimo primo*, Ileum quoque sæpe præcedit inque eum convertitur: & quidem idipsum quam facillimè fieri potest, tum ob intestinorum continuitatem, tum quia eædem causæ parum modo auctæ in intestinum ileum incidentes Iliacum affectum producere valent. Colicæ in Ileum conversæ exemplum hic tantum adducemus mulierem herniosam; in qua cum colon ejus extra rupturam propulsum ibidemque refrigeratum, ac flatibus fæcibusque repletum esset, neque in situm naturalem posset reponi, mox tenuibus intestinis affectis & coangustatis, affectus iliocus, quem dolor potissimum circa umbilicum indicabat, ortum suum traxit.

XXXIV.

Restant adhuc affectus alii, qui cum dolore Iliaco conjunguntur, vel eum antecedunt aut subsequuntur: sic catarrhum tenuem suffocationem minantem conjunctum Smetius *in miscellan.* observavit. Idem porro aphthas malignas interiores utriusque malæ partes infestantes *l. c.* & Forestus *l. c. observ. 21.* easdem in ore, circa labia & ubique

in palato in Iliacis viderunt. Cum hydrope tympanitide Platerus *l.c.* & Forestus *l.c.* in puella Delphica. Mulierem à doloribus Iliacis liberatam in hydropem incidentem tandem tabidam interire vidit Ballonius *l.1.consil.31.in fine.* Cum Ictero Smetius *l.c.* Scorbutum ei conjunctum Drauvvitzius *tract.de scorbut.* Cancrum intestinorum in fabro ferrario Salius *aff.partic.c.11.* Gangrænam cum intestini erosione Hildanus *cent.1.obs.55.* Syderatum quasi infimum ventrem Ballonius *l.c.* Morbo hypochondriaco successisse Sennert. *l.supra cit.* observarunt. Stranguriam eum supervenire posse testis est Hippocrates *l.6.aphor.44.* Diarrhœam eundē excepisse in uxore cerevisiarij Forestus *l.c.* & Fernelius *l.c.* in puella Idem *l.c.* & puerum dolorem fixum continuumque sub hepatis regione per aliquot annos sentientem tandem hâc gravissima passione mortuum se vidisse affirmat Hildanus *l.c.*

XXXV.

Circa urinam illud cumprimis notandum quod in exigua quantitate, difficulter & interdum cum dolore reddatur; exemplo nobis est mulier apud Hippoc. *l.c.* paucam eamque tenuem reddens, & puella lotium primo cum dolore excernens, cui postea ipsa dysuria accidit; ut scribit Forestus *l.c.* *Deinde* quod nonnunquam sabulosa, acris & quasi incensa sit, & quidem ita ut meatum urinarium obstruat. Tale quid contigit Comitissæ ut refert Wierus *l.c.* cui durante dolore iliaco particulis arenosis meatus ille usque ad doloris solutionem plane obstruebatur.

XXXVI.

Habitum corporis quod attinet, plerumque carnosos sanguineos & obœsos Iliacos fuisse observatum est. Tali corpore εὐσάρκῳ mulier admodum annosa fereque septuagenaria

genaria & Petronella de Berendrecht æquali & pinguissimo gaudebant, quarum meminit Forestus *l. c.* Et alia, referente Benivenio *l. c. c. 76.* Hîc locus Corn. Celsi *l. 2. c. 1.* de morbis, obœsis familiaribus optime quadrare videtur, dum inquit: *Obæsi plerumque acutis morbis & difficultate spirandi strangulantur, subitoque sæpè moriuntur. Quod in corpore tenuiore vix evenit.* Illud præterea hic notari debet, quod morbo in maximo vigore constituto corpora illorum quandoque fœtorem spirent, frigidoque sudore perfundantur.

XXXVII.

Quamvis autem hic vitæ hostis promiscue in omnem ætatem deſæviat; ſententiâ tamen Aëtii *tetrabib. 3. ſerm. 1. c. 28.* & Aretæi *l. c.* ætati puerili maxime familiaris est, quia hæc præ reliquis, cruditatibus potiſſimum abundat; omnium facillime tamen ob humorum minorem acrimoniam ab eo liberatur. Senes rarius eo infeſtantur, ſi tamen eos corripit, nunquam ferè convaleſcunt. Iuvenilis verò ætas quoniam omnium calidiſſima eſt Ileo potisſimùm tentatur.

XXXVIII.

Cæterum, licet omni anni tempore quilibet morbi contingere poſſint, atq; etiam hic certo tempore non ſemper oriatur; nonnullos tamen vernali, quosdam æſtivo, autumnali alios, alios hybernali magis & frequentius vel fieri vel irritari obſervatum eſt; ita & Ileos Hippocrati *lib. 3. aph. 22.* morbis autumnalibus accenſetur. Aretæus vero cum Aëtio æſtatem autumnumque; præ omnibus vero illam huic affectui favere affirmat.

XXXIX.

Symptomatibus circa hunc morbum contingere ſolitis ſufficienter, ut arbitramur, enarratis, quænam exqui-

Iliacæ ab usu cydoniati ex Fernelio comprobat. Quo etiam quam maxime faciunt observationes Hildani, qui in pueri Ileo exstincti corpore vidit intestinum cœcum contractum in hunc intestini ilei angustiorem meatum sese insinuasse, idque adeo opplevisse, ut nihil ex superioribus ad colon permeare potuerit. Idem principium & originem hujus morbi fuisse circa intestinum cœcum in omnibus Iliacis, quos præter puerum secuit, se observasse testatur. Concludimus nihilominus intestinum ileum utplurimum primario affici non excludentes interim reliqua tenuia imo cœcum & colon ipsum.

XLIII.

ORITUR autem hic morbus unice & proxime à motu virtutis intestinorum expultricis, quam sibi connatam possident, depravato. Hic enim notandum, ea duplicem potissimum usum corpori præstare 1. ut scilicet chylum sive nutritium succum in ventriculo prius elaboratum excipiant, perficiant inque vasa lactea amandent. 2. partes recrementitias ad tempus contineant & per naturalem exitum deorsum motu suo nativo propellant. Talis vero motu secundum naturam peragitur, quando beneficio rectarum fibrarum intestina sensim supernè deorsum contrahuntur seseque ita coarctando humores contentos protrudunt. Hoc verò eorum motu depravato & inverso, quacunque demum causa id fiat hic noster affectus oritur, omniaque sursum cibus, potus, chylus, pituita, bilis cæteraque prout causa major vel minor fuerit, rapiuntur, dolorque maximus excitatur. Quam rectissime igitur ἀνω̃ειλησιν tum alii, tum Duretus *com. in coac.* ut fundamentum omnis Ilei ponit.

XLIV. Etsi

XLIV.

Etsi autem communiter scriptores varias hujus depravati motus caussas recenseant, tamen nos proxime eum ab intestinorum inflammatione ortum ducere existimamus. Cum enim eorum fibræ membranæque, & quidem in suis extremitatibus molestum ex morsu & vellicatione rei inflammantis percipiant sensum sive dolorem, ea parte inferiore ad excutiendum quod noxium est insurgunt, & motu naturali contrario, nempe a partibus inferioribus fibræ moventur versus superiores & principium, eaque ratione quicquid continent una sursum ad ventriculum propellunt; haud aliter ac fit in vomitu, quamdiu enim fibræ rectæ in gula à parte superiore moventur, & versus ventriculum contrahuntur, fit deglutitio rerum devorandarum; ubi vero fibræ à parte inferiore versus superiora contrahuntur oritur vomitus, & inverso modo quæ in ventriculo continentur, ἄνω rejiciuntur.

XLV.

Inflammantur autem intestina à varijs causis & 1. quidem ab ipso sanguine copioso vel acri ad ileon prolapso. Cum enim illud intestinum quamplurimis abundet vasis, facili negocio sanguis sua mole vel acrimonia orificia vasorum aperit & effusus ad membranas putrefactusq; inflammationem efficit. 2. à biliosis humoribus, illi enim insigni caliditate & acrimonia sua exiguo temporis spatio in parte aliqua detenti primo calidam partis intemperiem & attracto humore in majori copia ipsam φλεγμονὴν excitant. 3. humores pituitosi, non quidem quamdiu naturalem suam constitutionem obtinent, sed tum quando ex corruptione & putredine præternaturalem calorem acquirunt. Nec melancholicos & ichorosos hic plane excludimus 4. excrementa dura nimiumque exsiccata intestinis eorumque

gyris inhærentia eundem effectum producere pariter apta non sunt, quam quod dum corrumpuntur incalescant & suo fervore & acredine eas partes vellicent, mordeant & inflamment. Unde Cous noster *lib. de affectionib.* ita loquitur: *Oritur ejusmodi morbus* (Iliacus) *ubi copiosè coacervata recrementa in intestino pituita circumambiente combusta fuerint, intestinumq; his nimirum confertim induratis, intumuerit, nullumq; ex his medicamentis quæ superbibuntur recipit, sed vomitione rejicit, neq; admota per inferiora recipit.*

XLVI.

5. Vapores flatusque calidi & acres nequenon lumbrici non raro eandem Φλεγμονὴν inducere motumque intestinorum invertere valent: nam & illi acrimonia, hi vero arrosione ac commorsione sua intestinorum tunicas earumque fibras lacerando idem, licet rarius, efficere possunt. Vermes quosdam hunc motum in puero depravantes Platerus *loc. cit.* hunc in modum describit: *Sed & vermibus vivis, oblongis quamplurimis* (intestina) *repleta erant, qui rursum aliis minoribus referti, inæquales illos motus effecerant.* Ejusdem inflammationis causa & alia ratione iidem existere possunt; quando scilicet in magna copia ex humorum corruptione generantur atque iterum, ut sæpe contingit, in ipsis intestinis in putredinem abeunt & resolvuntur. Hinc itaque orta putredine inflammationem quandoque oriri posse nulli dubitamus.

XLVII.

Circumvolutiones 6. & intestinorum complicationes in modum chordarum hîc à nonnullis inter causas recensentur, hujusque rei exempla, quibus idipsum probare solent, à nonnullis autoribus consignata th. XIIX. commemoravimus. Non simpliciter vero eorum opinioni assensum

sensum præbere possumus, quoniam consideratio partis cui firmiter omnia intestina adhærent aliud suadet. Intestinis ergo suo mesenterio secundum naturam adhuc unitis easdem accidere firmiter negamus. Rupturâ vero & dilaceratione, quales in hernijs contingere possunt, à mesaræo segregatis, nonnunquam accidere non imus inficias. Ileon ergo, quoniam longissimum omnium & utplurimum in hernijs à situ naturali removetur, huic convolutioni, si quæ fiat, quam frequentissime obnoxium erit.

XLIIX.

Herniæ 7. perfrequenter huic affectui causam præbent, præcipuè vero ἐντερoκήλη, ἐξόμφαλος & βουβωνοκήλη, quarum exempla supra adduximus. Hi vero præ cæteris in affectum nostrum proclives sunt, quia 1. musculi abdominis alvi excretionem intestina comprimendo accelerare, & promovere nequeunt: hâc vero ope intestinis denegata, excernenda facile retinent, atque his exsiccatis obstructionem tandemque ipsam inflammationem concipiunt. 2. Eadem obstructio, imo ipsa inflammatio illis ob rupturæ in peritonæo factæ angustiam accidit: promptè enim, ob loci declivitatem, humores & fæces capiunt, haud æquali vero opera iterum expellunt. 3. Quia intestinum prolapsum, ab aëre frigido alijsque injurijs externis non satis munitum, huic malo expositum est. Huc accedit 4. Compressio vehemensque impulsio intestini in herniarum curationibus, unde inflammatio suboritur: vel improvida intestini cum omento vel alia parte ligatura, quale exemplum pueri herniosi ex Henrico ab Heer supra adduximus.

XLIX.

Plagæ 8. & vulnera abdominis ejusque partium interna-

ternarum inflammationes non infimum sæpe hic locum obtinent: si enim intestina partesque illis vicinæ, peritonæum, omentum, mesenterium, hepar &c. iisdem infestantur facillime in dolorem Iliacum transeunt. Hoc modo Aristippus in ventrem sagittâ sauciatus accedente inflammatione ileum acutissimum cum febre incurrit, ut scribit Hippocr. *l. 5. epidem. sub fin.* Et puellæ dolor, vel sine dubio, inflammatio hepatis in eundem affectum gravissimum convertebatur teste Forest. *l. c. obs. 3.*

L.

Frigus intensum corporibus nostris eundem morbum nonnunquam inducere valet, inprimis vero si corpore calidiori sudoreque adhuc madido, aëri frigido nos exponimus.

LI.

Cibos calidos, acres & difficilis coctionis, ut cœpe, allium, raphanus rusticus & aromata: neque non crudos ac diversi generis inusitatos præter modum ingestos eundem morbum causari posse, partim ex loco Aretæi supra citato & exemplis ibidem adductis constat. Quibus præterea hoc addendum, quod quædam esculentorum genera volvulum producendi vim habentia ab autoribus quibusdam consignata reperiantur: qualia sunt fungi, sepiæ atramentum & alia. Hic merito non negligenda venena; ut enim illa sua natura corpori nostro sunt inimica, ita quam facilime, inprimis calida & acria, intestina erodere & inflammare possunt: cujus generis arsenicum, aconitum, buprestis, lithargyrium &c. Potus calidus largior & frequentior ut: vini generosi, Hispanici, Hungarici, Austriaci &c.; præterea aquæ frigidæ, cumprimis à valido exercitio æstuante corpore assumtus non exiguam huic malo causam

sæpe

ſæpe miniſtrant; ceu hoc vir quidam apud Foreſtum magno ſuo valetudinis detrimento expertus eſt, & alijs exemplis comprobatur.

LII.

Suppreſſiones conſuetarum evacuationum quantorum malorum quam frquentiſſimè ſint origines, nemo ferè eſt qui ignoret. Et quidem quantum hæmorrhoidalium fluxus intempeſtivè cohibitus hîc poſſit, docet Johannes Puthomme, referente Ballonio *lib. 1. conſil. 61.* Æquale judicium de menſium lochiorumque retentione eſto.

LIII.

Tandem animi παθήματα, inprimis ira & excandeſcentia, quæ cum corporis conſtitutionem varijs ac diverſis modis immutare & alterare poſſint, ad hanc rem non parum conferunt: ut exemplo uxoris mercatoris ex nimia ira in Ileum incidentis manifeſtum eſt. Motus deniq; immoderatus nimiaq; quies etiam ſymbolum haud exiguum adjiciunt; ille humores concitat caloremque incendit neque non ut ilia rumpant occaſionem præbet; hæc vero cum crudidatis mater ſit, magnum humorum noxiorum ad putredinem idoneorum proventum generat.

LIV.

Inquirendæ jam porro eſſent enarratorum ſymptomatum cauſſæ, ut eo plenior perfectiorque eſſet hæc de Iliaca paſſione diſſertatio. Verum ne Theſes nimium excreſcant conſulto eas jam prætermittimus. Et ipſis etiam diagnoſticis omiſſis, utpote ex ſuperioribus ſatis liquidis, ſtatim ad prognoſtica progredimur; data tamen brevi ex ſuperioribus collecta Ilei deſcriptione: Eſt enim ille inteſtinorum motus depravatus, ex inteſtini ilei inflammatione ortus, cum exquiſito ejus dolore, alvi ad-

ſtrictione, febre, frequenti vomitu alijsque ante enarratis ſymptomatibus utplurimum conjunctus.

LV.

Πρόγνωσιν igitur quod attinet, omnem Ileum acutiſſimum periculiq; plenum malum eſſe ex Galen. *comment. in l. 6. aph. 44.* conſtat. An autem Iliacis aliqua ſpes ſalutis reliqua ſit, ex collatione roboris naturæ cum morbi vehementia facta dignoſcitur. Morbus itaq; hic licet nullarum partium nobiliorum affectus ſit, tamen ratione gravium ſymptomatum ſuorum cauſæque vehementis, magnus utique vocandus: plures enim & citius, quam quidam partium nobiliorum morbi, ægros interimit. Eò gravior vero & periculoſior erit, quo majora ei conjuncta fuerint ſymptomata: qualia ſunt febris vehemens, vomitus continui, nullius neque cibi neque potus retentio, ructus multi iique inanes, alvi adſtrictio, anguſtia præcordiorum, difficilis reſpiratio & ejuſmodi alia.

LVI.

Quid verò, ſi ſingultus, delirium & convulſiones ſequantur expectandum, pronunciat Hippocrates *l. 7. aph. 10. Ex morbo tenuioris inteſtini (ileum dicunt) vomitio, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum.* Æquale judicium de vomitu frequenti, vario, mali odoris Celſus *l. 4. c. 13.* & idem Hippocrates *in coac. prænot. ſect. 2. num. 470.* tum de hoc tum de ſurditate ægris accedente ferunt.

LVII.

Et his quidem aliiſque mox dicendis ſignis apparentibus parum ſpei ſalutis ſupereſt. Si vero vires nondum plane ſuccumbant, ſymptomataque morbi decurſu imminuantur, non omnis abjicienda ſpes erit.

LVIII. Qua

LVIII.

Qua ratione autem & qua via morbus ad salutem aut mortem tendat, ulterius investigandum. Ad salutem itaq; vergit 1. quando causæ inflammationis medicamentis cedunt, ventriculus medicamenta & alimenta admittit & retinet, atque hæc motu naturali ad intestina promoventur sicque ea suum effectum præstant, id est, alvum perrumpunt & humores exturbant. 2. Urinæ etiam profluvio solvitur & judicatur: *Quibus*, enim, ut inquit Hippocrates *lib. 6. aph. 44., ex stranguria volvulus succedit, intra diem septimum moriuntur, nisi febre accedente copiosa urina effluat*. Hic notandum quod jam supra de ætatibus diximus: pueros nempe, senibus frequentius affectum nostrum incurrere; longe vero periculosius hos præ illis eo decumbere.

LIX.

Ad mortem quomodo tendat hoc malum Aretæus *lib. 2. acut. c. 6.* docet hisce verbis: *Multi quidem vi torminum repente intereunt; aliis intestinum suppurat, deinde nigricans tunc & putrefactum excidit, atq; ita deficiunt.* Alij porrò medicamentis nihil juvantibus superveniente spontanea alvi dejectione, sudore gelido, frigore extremorum & syncope intra septimum diem plerumque deficiunt.

LX.

Quamvis autem gravissimus acutissimusque sit hic morbus, adeo ut vix quisquam, quoniam occasio præceps, ab eo servetur & convalescat; nequaquam tamen omni ope medica ægri destituendi, sed cito quoad modo fieri poterit, illis succurrendum. Proximum ergo erit ut ad CURATIONEM ipsam progressum faciamus.

LXI.

Ut omnis igitur curatio suis indicationibus à morbo, morbi caussa & viribus sumptis nititur; ita & hic, qui est intestinorum inflammatio, sui ablationem hujusque in integrum restitutionem indicat. Cum vero non nisi sublatis causis effectus tolli queat, hæ prius, & quidem eo ordine quo se invicem consequuntur, abigendæ. Facto proinde ab ipso effectu discursus initio, ad causam proximam, hinc ad alias, donec ad ultimam pervenerimus, à qua initium curationis fieri debet, hæc prius deinde cæteræ removendæ erunt: ceu Amplissimus Dn. Præses *Method. med. cap. 1.* demonstrat.

LXII.

Quamvis verò secundum ordinariam medendi methodum eo ordine causæ removendæ sint, & symptomata quatenus talia per se nunquam aliquid indicent, sublatoque affectu seu morbo à quo dependent, una cum eo tollantur; quatenus tamen ex accidente causæ rationem præ se ferunt, morbum augent viresque plurimum prosternunt sui ablationem, vel ad minimum mitigationem postulant, ut docet Galenus *lib. 12. meth. med. cap. 8.* inquiens: *Si ex dolore vires resolvuntur, atq; ex eo periculum impendet, & mitigari dolor & roborari vires debebunt, quo & morbo resistere & curationis spatio sufficere valeant.*

LXIII.

Cum igitur in hoc morbo dolor ex inflammatione intestini ilei sit exquisitus, & præterea inquietudines & vigiliæ ægros utplurimum infestent, eorumque vires non absque periculo prosternant; Iliaci affectus curationem à symptomatum dictorum imminutione & mitigatione inchoandam esse, ne ægri horum crudelitate deficiant, quivis facile videt.

LXIV. Dum

LXIV.

Dum autem hoc intendimus, efficere illud nequaquam possumus, nisi ad ordinariam curationis rationem accedamus, id est, caussas doloris vel tollamus vel imminuamus. Quare principio sanguis & humores, inflammationem suo affluxu producentes, evacuandi.

LXV.

Commode autem hoc fit venæsectione: per eam enim sanguinis quantitas dum imminuitur, inflammatio alimento suo privatur; deinde sanguinis & humorum ad partem affectam delabentium fit revulsio & interceptio. Sanguine vero ita revulso incrementum inflammationis inhibetur.

LXVI.

Accedit & aliud commodum, quod nempe subtracto sanguine simul calor immoderatus & febrilis contemperetur & imminuatur.

LXVII.

Quænam autem vena sit incidenda, docet Hippocrates *lib.3. de morb.* quando inquit: *His* (Iliacis) *ea curatio instituenda est. Venter superior quam citissime purgandus, sanguis ex capite & cubito detrahendus, ut alvus superior incalescere desinat* &c. Quantum verò sanguinis evacuandum, indicat quidem Aretæus *lib. 2. de curat acut. cap. 5.* ubi ita loquitur: *Si morbi caussam inflammationem esse invenerit* (Medicus) *venam in cubito magna sectione aperiat: quo multus subito sanguis inflammationis alimentum, vel usq; ad animi deliquium effundatur. Etenim hoc vel sedandi doloris vel stuporis ac sensus privationis initium est.* Verum enim vero licet magnum in Ileo usum liberalis effusio sanguinis habeat, non temere tamen ægris, imo vix sanis & robustis

ad animi usque deliquium sanguis educendus: quippe si modum excedas, metus est, ne omnem calorem extinguas & ægrum vitæ periculo exponas.

LXVIII.

Quapropter in sanguinis missione ad materiam peccantem & vires corporis respiciendum esse arbitramur: hæc enim justam quantitatem, an multum vel parum, & una vel pluribus vicibus evacuandum determinat. De viribus autem indicium faciunt ætas, anni constitutio, temperamentum & consuetudo. Itaque si vires una sectione tantam sanguinis profusionem, quantam morbus requirit non admittant, ea per vices tuto & commode repeti potest. Hanc enim ægri non solum facilius ferunt; verum etiam humores affluxuri & jam influxi à parte inflammata magis revelluntur & derivantur. Qui vero *αἱμοφόβοι* & phlebotomiæ minus sunt assueti, in illis, quæ venæsectionis vices interdũ explent, cucurbitulæ cum scarificatione scapulis, brachijs, dorso, cruribus applicatæ pariter humores revellere & sanguinis partem evacuare poterunt. Hæmorrhoidales, quibus fluere consuevêre, magno cum emolumento aperiuntur; quam optimè enim sanguis ad intestina nimis affluens & influxus per illas derivatur.

LXIX.

Priusquam vero venæsectio instituatur, opera danda ut alvus enematibus emolliatur crassique fæces subducantur. Parandi autem illi Clysteres ex emollientibus, moderatè refrigerantibus & dolorem lenientibus, ut sunt Radices althææ, liliorum alborum, Folia malvæ, althææ, brancæ ursinæ, parietariæ, violariæ, chamomillæ &c. Flores chamomillæ, meliloti, rosarum; additis caricis pinguibus, Oleis lini, liliorum alborum, violarum, amygdalar.

amygdalar. dulc., rosacei, chamomillæ &c.: quibus etiam carminativa dicta adjicere licet; qualia sunt Semina anisi, carui, anethi, fœniculi; ut: ℞. radic. althææ ℥j liliorum albor. ℥ß herbar. malvæ, violar. mercurial. parietar. āā mj, flor. chamomil. Rom. melilot. violar. āā pj, sem. lini, fœnigræc. āā ℥j anethi fœnic. āā ʒiij Coq. in s. q. aq. hord. ad remanent. lbj. in qua dissolv. elect. lenitiv. ℥iß ol. amygdal. dulc. violac. āā ℥j M. pro Enemate.

LXX.

Hisce conjungenda sunt medicamenta externa: ut Fomenta, Linimenta & Cataplasmata. Fomenta conficiuntur ex decocto malvæ, althææ, chamomill. Rom. cum floribus, Flor. malvæ, meliloti, verbasci, violar. &c. A fotu venter inungatur Linimento, parato ex unguent. dialth., resumptiv., ol. violat., amygd. dulc., chamomil., verbasc.; additis mucilag. semin. lini, fœnugr., cydonior., butyri recent. &c. Forestus in principio oleis rosac. & amygd. dulc. invicem mixtis utitur, hisque in augmento oleum chamomill., in statu vero anethinum addit. Cataplasmata vero ex emollientibus & refrigerantibus supra pro enematibus descriptis, & ex eorundem decocti residentia immixta farin. hordei, fœnugr., lini cum butyr. non salit., axung. gallin. & oleis prædictis parantur.

LXXI.

Dum hæc ita peraguntur, statim à venæsectione ad dolorem eò magis leniendum & obstructionem tollendam exhibeantur olei amygdal. dulc. ℥ij: vel jus cula pinguia galli veteris, carnis bubul. &c. in quibus malva aut althæa decocta fuerit. Ex horum namque jusculorum pinguium usu aliquoties repetito puella, cujus meminit Matthæus de Gradib. & nobilis quidam Italiæ, recensente

Forestus,

Foresto, cæteris omnibus frustra exhibitis, integre convaluêre: imò solo jusculo malvæ quotidie assumto mulier quædam pro Iliaca deplorata habita, alijs remedijs pariter nihil juvantibus, sanitati restituta fuit; ut refert Forestus ex arcanis Cornelij medici Roterodamensis. Electivè vero purgantia, quoniam humores concitant & ad partem affectam magis attrahunt, hîc temerè non sunt exhibenda.

LXXII.

Vomitus, antequam symptomatica per superiora rejectio accedat, statim à venæsectione, vel etiam ante eam provocandus, cumprimis si morbus ab assumptione veneni cibisque noxijs & corruptis ventriculo & vicinis intestinis adhuc inhærentibus, originem ducat. Ille vero aqua tepida cum oleo violaceo, vel syrupo violarum ex multis infusionibus, oleo amygdalar. dulc. & jusculis pinguibus, inprimis vero Tartaro emetico magno commodo movetur. Venena porro à vomitu propria sua antidota requirunt, eaque per aliquot dies sunt exhibenda.

LXXIII.

Ab hernijs si hoc malum fuerit productum, curatio ad eas primum dirigenda, intestinumque prolapsum manu prudentis Chirurgi omnium primo reponi debet, & ne illud ita in situ naturali collocatum denuo procidat, ligamentis, unguentis & emplastris adstringentibus prospiciendum, atque tum demum ad medicamenta jam enarrata accedendum erit.

LXXIV.

Usum globi plumbei, quem nonnulli ad explicanda convoluta intestina commendant, probare non possumus.

mus. Non enim revera inteſtina, niſi fuerint rupta & â communi fulcro meſenterio ſoluta, convolvuntur. Neque, ut ex Aretæo diſcimus, volvulus vocatur hic morbus, quod inteſtina involvantur, ſed quod flatus, cum nec per ſuperiora nec inferiora exitum inveniant, in ſe per anguſtos inteſtinorum anfractus vertantur & revolvantur: & Cœlius Aurelianus ſcribit, volvulum dici hoc malum, quod qui eo afficiuntur ex dolore nimio convolvantur & in ſe agitentur. Sed ponamus fieri talem convolutionem inteſtinorum, tamen pondus ejuſmodi globuli tantum non eſt ut talem complicationem ſolvere poſſit, quam natura ſuo motu & impulſu excrementorum ſatis forti expedire nequit. Ubi autem globulus ille ſubſiſtit in inteſtinis, malum magis exaſperatur, quam corrigitur.

LXXV.

Diæta, quæ jam paucis ſubnectenda reſtat, conſiſtit in legitimo ſex rerum non-naturalium uſu. Æger itaq; verſetur in aëre temperato, ad frigiditatem tamen & humiditatem paululum inclinante, qui ſi talis non eſt, arte corrigendus. Cibum & potum quod attinet, ut in omnibus acutis, ita & hic maxime tenuis convenit, imo nonnulli in morbi principio ægris ut ab omni cibo per viginti quatuor horas abſtineant imperant, quo minus ab ejus recrementis inflammatio irritetur & exaſperetur. Conducit autem juſculum pulli, & galli veteris cujus venter ficubus, paſſulis, ſemin. frigidis ac butyro infartus & coctus fuit. Ab omnibus calefacientibus, acribus, auſteris, ſtypticis, obſtruentibus & craſſum ſanguinem gignentibus cibis abſtineant. Potus ſit aqua hordei, cremor avenæ, lac amygdalinum, ſerum caprinum,

Julapia & emulsiones illa ex aq. rosat., borrag., bugloss., plantag., syrup. nymph., de pomis, de succo portulac. &c. hæ vero ex semin. 4. frigid. & papav. alb. conficiuntur. Vinum album tenue cum succo citri, granator. & alijs refrigerantibus dilutum Iliacis concedi potest. Alvus si fuerit adstricta fomentis, unguentis & cataplasmatibus supra enarratis, neque non suppositorijs & clysteribus irritanda & quantum fieri potest emolliendaest. Somnus illis paulo longior confert, & si vigiliæ adsint, illæ medicamentis hypnoticis sunt corrigendæ. Ægri in quiete contineantur. Animi denique pathemata, cumprimis vero ira, summo studio fugiantur. Verum hæc pro instituti nostri ratione, de hoc morbo jam sufficiant.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

Eximio juveni

BARTOLDO HORNEIO

Affini suo carissimo

S. P. D.

VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS.

EGo vero non una de caussa lætor tibique gratulor de eo quod nuper feliciter cœptum approbante Collegio nostro absolvere jam intendis. Scilicet apprime te quoque decebat

bat non humiliter & leviter doctrinarum studia colere, utpote illo progenitum parente, de cujus virtutibus tanto verecundius mihi est loquendum, quanto arctior mihi vobiscum intercedit necessitudo. Præcipue autem animum appulisti ad eam artem perdiscendam, quæ in utraque valetudine adeoque ipsius vitæ conservatione post DEUM opt. max. unico est præsidio, divinæ cognomen eapropter jure meritissimo consequuta. In qua quam laudabiles feceris progressus, posteaquam Ordini nostro in utroque examine satis comprobasti, publico quoque isto specimine egregie jam commonstras. Nam & doctrina proba est, & methodus in illa tradenda abs te observata genuinis docendi legibus plane conveniens. Ita ut nullus dubitem, quin,

Dexteritate pari medicam si feceris artem,
Multa feras ægris commoda, multa tibi.

Quod ipsum ut fiat, gratia sua porro tibi adsit, qui hucusque te progredi fecit, benignissimus Deus. Id quod ego etiam atque etiam voveo & precor, affectum meum publico hoc documento contestatus.

Hactenus

HActenus ingenij tua dona tuoſque labores
Cenſebat pretio Julia ſola ſuo.
Hoc tamen, etſi amplum, tua nunc doctrina theatrum
Se ſtudioque ſuo repperit eſſe minus.
Progrederis, doctoque oſtendis ſedulus orbi,
Quæ non ignavo parta labore tibi.
Perge alacri curſu. Medica ars eſt longa, breviſque
Vita, nec in parvo tempore multa patent.
Sunt aliquid, fateor, quæ priſca aut noſtra dederunt
Secula, quæ noſtri nos docuere patres.
Non tamen ingenijs hîc terminus. O miſer ille,
Qui ſe tam anguſto carcere damnat iners!
Cum noris, quæcunque libris ſunt ſcripta Sophorum,
Percipies tandem te didiciſſe parum.
Siſyphium eſt Medicæ ſaxum quod volvimus artis:
Macte igitur ſtudijs impiger uſque tuis.
Sic quondam, in Sacris quæ maxima parta Parenti,
Phæbeja cedet gloria in Arte tibi.

HENRICUS MEIBOMIUS.
D. & P.P.

FINIS.